

229. Ut liceat passionem martyrum legere in natalibus eorum (*Conc. Carthag., tit. 45*).

250. Ut soli Ecclesie Carthaginis liceat alienum clericum ordinare (*Conc. Carthag., tit. 54*).

251. Ut omnes Ecclesie ab Ecclesia Carthaginis

A diem Paschæ audiant tempore concilii (*Conc. Carthag., tit. 5*).

252. Ut nullus ordinetur nisi probatus vel episcoporum examine, vel populi testimonio (*Conc. Carthag., tit. 29*).

VITA SANCTI FULGENTII, RUSPENSIS EPISCOPI

(*Quam videsis Patrologie tom. LXV, col. 117*).

ANNO DOMINI DXL.

SANCTUS JUSTUS

EPISCOPUS URGELLENSIS.

NOTITIA (ex Fabricio).

S. Justus Urgellensis sive Urgelitanus in Hispania episcopus, qui subscripsit concilio Toletano II, anno 527 [*al. 531*], atque Herdensi an. 542 [*al. 546*], et cujus mysticam Expositionem in Cantica canticorum ad Sergium papam (non Romanum, sed Tarracensem episcopum) metropolitanum suum, memoratam Isidoro Hisp. cap. 21, Nonorio III, 25, Trithemio c. 210, edidit Menradus Maltherus, Haganoæ 1529, recusam in Micropresbyterico Basil. 1550, in Orthologographis utrisque edit. an. 1555 et 1569, et in Bibliothecis Patrum universis, Paris., Colon. et novissima Lugunensi t. IX, p. 731; et separatim Georgio Rostio curante, Halæ Sax. 1617. Præmissa epistola ad Sergium edita etiam in Daeheri Spicilegio, tom. III, pag. 312 (edit. novæ tom. III, pag. 119), et in Conciliis Hispaniæ cum notis cardinalis de Aguirre, t. II, pag. 273; et altera epistola ad Justum diaconum, quo hortante laborem hunc in se suo cepisse profitetur. Confer Nic. Antonium IV, 1; Bibl. Hispaniæ veteris tom. I, pag. 208 seq.; Acta Sanctor. tom. VI, Maii 28, p. 773.

EPISTOLA S. JUSTI URGELLENSIS.

AD SERGIUM PAPAM.

Domino meo vere piissimo, et præcipue Dei gratia copioso, semperque in Christo beato, domino Sergio papa, Justus episcopus.

Sciens te tam solerti studio pro refrigeriis pauperum laborasse, ut illis temporariam consolationem, tibi que acquisieris æternam mercedem, et jam satis te d'judicans totum ad Dei eloquia, ex quibus nunquam fuisti vacuus, pro animæ cultura converteris; quoddam tibi in corporali specie spiritale exenium dirigere procuravi; quod si tibi Christus non ex nostro merito, sed ex suo munere fecerit esse gratissi-

imum, forsitan proveniet, et in diebus jejunii quodammodo refectus ad mensam venies, et antequam cibum accipias quiddam prægustasse persenties. Nec hoc dicens transmissionis hujus meritum, priusquam approbes, arroganter insinuare studeo; sed intercedente charitate, in qua te totum possides, ita de tuo tanquam de meo animo præsumens, tibi acceptum fore absque ulla ambiguitate confido. Igitur in Christo Je-u germanum cordis mei esse non nesciens libellum de tractatu libri canonici qui *Can. i. Canticorum* præscribitur, quem nuper Christo illuminante elidimus, tibi primum censui offerendum. In quo non nostra potius, sed ea quæ tua sunt, quia sic diligitis, te suscepisse cognoscas: quem precor ut cum ea sollicitudine qua in Christo viges, sæpe recenscas: ut si quid illic corrigendum persenseris, integra libertate commoneas. Et sic cæteris in Christo fratribus relegendum, vel si fortasse placuerit offeras transcribendum. Itaque quia sic accidit ut membranis desistentibus, minutioribus litteris eandem scripturam, in paribus quaternionibus susciperent, nec studiosæ fabricatis lateralibus ambiretur; si memoratam rem tunc cuius meriti esse censueris, quia hoc ipsum, ut præfatus sum, donante Domino, tuum est, ut diligentiori studio transcriptum utilius coaptetur quantocius studebis. Quod opus si laude dignum processerit, te auctorem referam Christo; si vero reprehensioni patuerit, quia utriusque est, statim assumam socium temetipsum, quia decori sic te concedet hæc quæ Deus contulit coaptari, ut non de negligentia vituperium, sed de industria charitatis suscipias fructum: ut fratres nostri qui præcessorum Patrum tractatibus epulantur, etiam his notericis quæ eis ex charitate offerimus, non pro nostro merito, sed pro Dei dono et sua benevolentia vescri quodammodo delectentur. Ave nunc in Christo, piissime, nostramque pusillitatem sanctis orationibus in Domino fove.